

DIALOGUS XXXVIII.

De Fortuna , & Fatis Victricibus.

PUBLIUS.

DEam illam accedimus, quæ mentium profanarum
 omnium unicum fere idolum , ipsa præ Jove thus am-
 lius recipit , *Fortunam*, inquam , cujus divinitatem sola
 hominum imaginatione consistere , ipsi ejusdem cultor-
 es agnoverunt , quibus præcinit *Juvenalis* : L

- - - - - Nos te,
 Nos facimus, Fortuna, Deam, cœloque locamus.

Comparet illa Numo tuo Decimo quarto, & quinto, Et in prio-Tab.VII.
 ri quidem, peregrino mihi, cum loto in capite, quo Aegyp- N. XIV.
 tiam se origine prodit, & ex *Iside* natam, remo navali transver-
 so insidens, atque cornucopiæ gestans. Supra sunt literæ: B.M.T.
 infra legitur : ΑΡΑΔΙΩΝ : i. e. *Aradiorum*. TULL. Vulgavit
 hunc Numum *Domitiani* æreum *Patinus* p. 133. docens *Aradum* cum
 Tyro ac Sydone, constituere Tripolim in mari Phœnico : literas
 in summo æram non reputat, sed incertæ dicit esse interpreta-
 tionis. PUBL. Numus posterior æreus medius *Gordiani Pii* meus Ibid. N.
 est, ubi Dea sedet cum Cornucopiæ, dextra remum sustinens, XV.
 ad pedes rotam habens, tanquam symbola utriusque itineris,
 mari, terraque facti, e quo utrolibet saluum reditum procuret.
 Epigraphe : FORTUNA REDUX. Infra: S. C.

TULL. Nempe quot beneficia petebantur a *Fortuna*, tot II.
 illa Titulis onerabatur : ut mittam ejus nomina, variis a Locis,
 Templisque petita. Colebatur *Fortuna Aurea*, sic dicta ab ima-
 gun-

guncula ejusdem Aurea, quam *Augusti* apud se in Palatio servabant, & morituri, Successori transmittabant. Erat *Fortuna Publica* totius Reipublicæ: *Privata* particularium quorumlibet. *Primigenia*, infantum curatrix: *Barbata*, juvenibus barbam elegantem indulgens: *Virgo*, cui puellæ nupturæ suspenderent vestes in Anathema servatæ hætenus puritatis. *Equestris* pro Equitum ordine: *Virilis*, pro concilianda Viri gratia: *Muliebris*, propter Urbem prece Matris ab ira Coriolani servatam. *Videns*, quæ bene meritos promoveret: *Cæca*, improbis favens: *Dubia*, spe incerta detinens: *Bona*, implorata, ut faveat: *Mala*, ne noceat. *Obsequens*, facilis in vota: *Hujus diei*, præsentis cœpto adspirans. *Parva*, ex tenui crescens: *Manens*, quæ itinera dilectorum impediret: *Redux*, quæ profectos incolumes remitteret. *Viscata*, quæ doceret, occasionibus e re natis ad evadendum celeriter uti.

III.
Cap. II.
§. 10.

Unde vero putas, Cornucopiæ, quod *Fortuna* semper, plures alii Dii, Deæque persequenter secum deferunt, originem ducere? Non aliunde, D. *Pluche* ait, nisi ab *Iside* Aegyptia. Hæc etenim, ad frugum, & animalium ubertatem indicandam, per sepe calathum spicarum, frugumque capite gestans, ex quo Cornua bubula, vel arietina descenderent, visa est Artificibus græcis imago nimis inconcinna, monstroque similis, ac *Dex* non congruens. Finxerunt itaque illam cultu capitis comto. Ne autem ejus misteriiis, & virtuti divinæ quidquam detraherent, Cornu eidem grande dederunt brachio gerendum, quod spicis, & frugibus abundaret. Neutiquam tamen contentum illud, protritum, ac commune, cui nihil Divinitatis adspiratum foret: sed Cornu *Amaltheæ*, unde pia hæc Nutrix *Jovem* olim infantem lactaverat, hæc deinde virtute a Deo non ingrato donatum, ut, quidquid ad vitæ sustentationem *Amalthea* cuperet, omni tempore hoc e cornu extrahere posset.

IV.
Numi, *Fortunam* referentes, apud omnes quidem Scriptores Numarios abundant, sed parum ab invicem, nisi lemmatibus, differant, & æque parum habent in recessu. Duo tamen apud *Patinum*, & *Vaillantium*, exstant in Gente *Patin. p. Platoria*, & *Rustia*: de quo utroque Cl. *Harduinus* ab aliis peculiariter sentit. Primus in Adversa Caput habet feminea

minum revinctis crinibus, quod *Harduinus* fore semper pro *Concordia* respicit. In *Aversa* est *Protome* parvula *foeminea*, tabella imposita, in qua legitur: SORS. Circum: M. arcus. In *Plin.*
 PLAETORI. us CEST. ius S. C. Hic *Sortem*, i. e. *Fortunam*, suo I. p.
 intelligi non debere, censuit *Cl. Harduinus*, quia non scribitur *Sorti*: quasi non sexcentis in *Numis* *Dex*, aut *Semidex*, 73.
 nominativo casu descriptæ legerentur. *Prudentiam* potius hac *imaguncula* depictam arbitratus, *voctulam* SORS ita *divisam* legit: S. alus O. rvis R. omam S. apientia. Mallem autem ejus *imaginem* admittere, quæ *Nomine* saltem *indicatur*, quam *plane* *alienam* adsciscere, *cujus* *ne* *minimum* *quidem* *vestigium* *apparet*. Alioquin pari certe *libertate* legerem: S. ors O. rvis R. omæ S. ors Vel: S. alus O. rvis R. omæ S. alus, & alia hujusmodi, quo literæ *digitum* intenderent. V.

Numus alter apud *Patinum* p. 244. in *Adversa* geminas *Protomes* habet *jugatas*, *ambas* *more* *muliebri* *ornatas* *capite* *fasciati*, *quarum* *prima* *est* *brachio*, & *pectore* *aperto*. *Epigraphæ*: Q. uinctus RUSTIUS. FORTUNAE ANTIAT. æ. *Aversa* *redhibet* *Aram*, *cum* *inscriptione*: FOR. tunæ RE. duci
 Circum: CAESARI AUGUSTO. Infra: EX S. enatus C. on-
 suto. Juxta *Ursinum* *Protomes* *Adversa* *geminae* *Fortunæ* *sistunt* *imaginem*, *Reducis* *nimirum*, & *Antiatae*: quæ *posterior* *cumpri-*
mis *a* *Sortibus* *legendis*, *quibus* *futuri* *rerum* *eventus* *a* *confu-*
lenti *bus* *avide* *explorabantur*, *celebris* *existit*. De qua sic in
 cæteris *Horatius*:

O Diva, gratum quæ regis *Antium*
 Præsens, vel imo tollere de gradu
 Mortale corpus, vel superbos
 Vertere funeribus triumphos.

Cl. tamen Harduinus hic pariter obstrepit, *ajens*, *Fortunam* VI.
 non *Antii* solummodo, sed *ubivis* *terrarum* *cultam* *esse*. Id. In *Plin.*
 quod *ipsi* *jam* *sufficit*, *ut* *vocem* *ANTIAT.* *ad* *plenam* *dissectio-* suo I. p.
nem *damnet*, & *prævia* *litera* *N.* *ibi* *occurrente*, *sequi* *facillimus*, 152.
Narbonem *cum* *hoc* *Numo* *festinet*, *legatque*: Q. uinctus RUSTIUS
 FORTUN. æ. AE. discavit A. ram N. arbore T. titulo I. mperatoris
 G g A. n-

Libr. I.
 Od. 25.

VI.
 In *Plin.*
 suo I. p.
 152.

A. *ugusti T. utatricis*. Quare Protomen anteriorem, quæ cultu muliebri est, ait Fortunam referre: posteriorem vero esse Civis Narbonensis, in pileo urbano, atque domestico. Mihi ex *Antio*, Latii colonia, Narbonem usque via longior est, quam ut illam ingredi velim.

VII. *PUBL.* Numus tuus decimus sextus tres Deas, *Fortuna* cognatas, mihi ostendit, stolatas omnes, manusque mutuo jungentes: quarum tamen dextra, & læva, bacillum, seu sceptrum gestant, potentiaæ symbolum. Epigraphe: *FATIS VICTRICI-BUS*. Infra: S. M. A. quod lego: S. *ignata M. oncta A. ntiochie*. *TULL* Excepi hunc *Maximiani Herculei* Numum æris medii ex Ill. *Spanhemio* II. p. 639. oppido rarum, ubi præmissus est alius aureus formæ minimæ, cum capite *Diocletiani*, exactius depictus a D. *Liebe* G. N. p. 75. Stant in eo tres Fœminæ cultu profusus eodem, quo *Fortuna*, dum unaquæque earum Cornucopia gestat, duæque anteriores conjunctis manibus gubernaculum unum navale simul sustinent, tertia vero alterum se sola sustentat. Epigraphe eadem est, quæ supra: sed infra legitur: *SISC. iæ*, apposita stella.

VIII. De sensu Numorum istorum varie conjecerunt Viri magni. Cum namque Romæ fuerit Aedes *Trium Eatorum*, ut habent *Anastasius*, ejusque commentator *Procopius*: nec tamen *Tertulliani* temporibus illud exstiterit, cum exprobrat Romanis, eos *Fatis*, quæ Carthaginem sibi tradiderint, tantum honorem non habuisse, quantum *Lupæ Larentiæ*: visum est aliquibus, hanc Aedem *Eatorum* forsitan sub *Diocletiano* & *Maximiano* Augustis erectam. Alii existimabant, impiam Christianæ Religionis oppressionem, ab his Augustis toto animo tentatam, factamque, hic *Fatis Victricibus* adscribi: quemadmodum in Medallione quopiam eorum Fides Christi sub imagine hydræ septem capitum, ab Hercule confectæ proponebatur: Marmor præterea, his Augustis positum diserte commendabat, sic inscriptum: *Nomine Christianorum deleto, qui Rempublicam everterant*: puta, non seditione, & armis, sed contemptu Deorum, quorum iræ imputabant idololatræ mala omnia, quæ imperium premebant. Demum tertii abdicationem Imperii, his a Monarchis ultro, vel coacte factam, citra tumultum

tum, Fatis v'ncentibus hoc Numo in acceptis relatam arbitrabantur, sicut legitur in alio eorum ære medio: *Providentia Deorum Quies Augustorum*. Quæ postrema opinio mihi verosimillima videtur.

Cæterum de *Fato* sic loquuntur Veteres, ut, quid per illud intellexerint, ægre appareat. Sunt enim, qui illud cum *Natura*, cum *Fortuna*, cum *Providentia*, cum *Decreto Deorum* confundant: sunt iterum, qui ad his omnibus distinguant. Aliter autem de eo, cum respectu ad ea, quæ hominibus in vita eveniunt, aliter cum respectu ad vitæ terminum, licet inconstantissime differunt.

Vitæ terminum quod attinet, *Festus* ad illum *Virgilio* versum.

Vixi, & quem dederat cursum *Fortuna* peregi:

Ita commentatus est. „ Tribus modis humana omnis vita continetur. *Natura*: cui ultra centum & viginti Solstitiales annos concessum non est, diuturniori frui luce. *Fato*: cui nonaginta anni, hoc est, tres Saturni cursus, exitium creant, nisi forte aliarum Stellarum benignitate tertium ejus superet cursum. *Fortuna*, id est casu, qui ad omnia pertinent, quæ extrinsecus accidunt, ut ad ruinam, incendia, naufragia, venena, vim, fatigue diem occupatum. „ Impie ista. quasi hæc omnia extra Dei providentiam fierent. Esto autem fierent, non certe *Fortuna*, quæ nihil est, sed naturali causarum concurrentium effectui, tribui deberent. Qui vero concursus causarum, ut ipsa potentia cujuslibet agentis, sibi præscriptos ab Authore Naturæ limites habet. Voluerunt porro quidam, *Fatum*, & *ineluctabile* simul, & *mutabile* fore. Ineluctabile viribus hominum, & mutabile clementia superum. Quocirca supplicabatur Diis contra vim Fatorum, iique propterea dicebantur a Poëtis *Dii faciles*, aut *leves*, nimirum exorabiles,

Ea, quæ in vita variis accidunt, quod concernit, puta Sanitatem, & morbum, divitias, ac paupertatem, Honorem, ignominiam, & reliqua, in quantum a bonitate, vel malitia, item industria, vel socordia hominum pendebant, imputabant *Nature*:

IX.

X.

Aeneid.
IV.v.653.Juvenal.
Sat. X. 7.
Seneca in
Troas.
Act. I. 1.

XI.

qua nimirum singuli comparati essent, & agerentur. Ut locum haberet proletarium illud :

Fortunæ Faber est quilibet ipse suæ.

Quatenus vero contra vota, & conatum hominis, futura ignorantis, negarentur, vel acciderent, *Providentiæ Deorum*, futuri præsciorum, eorumque clementiæ tribuebant.


XII. Juxta quod *Juvenalis* christiane, modo Deum pro diis posuisset, cecinerat :

Satyr. X:
v. 349.

Nam pro jucundis aptissima quæque dabunt Dii.
Charior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu, & cæca, magnaque cupidine ducti
Conjugium petimus, partumque Uxoris : at illis
Notum, qui pueri, qualisque futura sit Uxor.

Quatenus denique interveniebat necessitas, nullo ingenio, nullo studio, nulla industria humana evitabilis : illa *Fato* aeterno tribuebant. Sic tamen, ut præter omnem spem, ac modum humanum, sola luculenta Deorum ope, grandibus periculis defuncti, *Fatum* se superasse jactarent : uti apud *Senecam* est :

Et *Fata* vici, morte contemta redii.



DIA-